



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Lvcaë Pinelli Societatis Iesv, Theologi, Exercitia  
Spiritualia Qvadragesima, De Sacrosancto Eucharistiæ  
Sacramento**

**Pinelli, Luca**

**Coloniae, 1608**

Christvs Trivmphans ingreditur Hierosolymam Matth.21.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59691)

DE PASSIONE CHRISTI. 5  
CHRISTVS TRIUMPHANS  
ingreditur Hierosolymam  
Matth. 21.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. **C**ONSIDERA Iesum instante Passionis suæ tempore, qua mundo id est vniuerso generi humano salutem collaturus erat, solemniter Hierosolymam ingressum, atq; à turbis cum ramis palmarum & fausta acclamatione, veluti Regem & Messiam susceptum fuisse: quamuis Iudæi de nece illi inferenda consilia inter se tractarent.

II. **C**ONTEMPLARE quomodo Christus, quamuis vili iumento in hoc suo triumphali in urbem ingressu vteretur, abiectis etiam hominibus, ac vili plebecula stipatus esset, tantam nihilominus maiestatem ostenderit, vt Scribæ & Pharisei, qui mortem ei moliebantur, pudore suffunderentur atque attonitis similes redderentur.

III. **A**SPICE qua cum humilitate ac mansuetudine Hierosolymam ingrediarur, certo sciens, se post paucos dies ab eadem turba, modo laudes suas elatis vocibus concelebrante, cruce grauissima in humeros imposita, foras educendum.

**MEDITATIONES.**  
dum esse, ut cruci ignominiosè affigetur, & morte turpissima tolleretur.

**DOCUMENTA.**

1. **D**isce fili à Christo, honorem etiam debitum, ab alijs tibi delatum, magna cum humilitate & animi submissione suscipere.

2. Nihil est, quod tantoperè terreat hostem anime tue, quam humilitas: esto igitur humilis, si victoriam de illis reportare desideras.

3. His turbis similis es, si in sacra communi-  
one Christum gaudenti animo suscipiens, illum pro-  
perea peccando eijcias à te.

**COLLOQUIUM.**

1. **Q**uid agis bone IESU? nonne post  
paucos dies in hac ipsa vrbe, quam  
modo triumphanti similis ingrederis, cum  
ingenti ignominia neci tradendus es? In  
eadem hæ turbæ quæ nunc præconijs te  
attollunt, nonne paulò post vociferantur  
funt, crucifige, crucifige illum? Quorsum ergo  
triumphalis hic ingressus? O ardentissimi  
charitatè. Voluisti hac ratione demonstrare  
ingentem illam voluptatem, quam cor tuum  
um ex eo perciperet, quod tempus illud  
quo sacratissima Passione tua, nos ab æter-  
na morte liberaturus esses, appropinquat.

DE PASSIONE CHRISTI. 7

intelligeres. Egredere filia Sion, ad excipiendum Regem tuum; venientem, non ut se de peccatoribus vlciscatur, sed ut pro illis animam suam tradat. Venientem non ut te bonis tuis spoliet, sed ut tibi sanguinem suum largiatur, atque cælestibus bonis te locupletet. Inuere quam mansuetus veniat, ut etiã vnica hac vice, qua in vita sua equitasse legitur, vilissimo animali, nullis egyptijs aut pretiosis pannis instrato, contentus sit. Quare cum fastum, pompam & apparatus omnem à se reiecerit, dat tibi intelligere, se nihil aliud quam bonum & commoda tua quærere. Egredere tu etiam anima mea, & hunc Dominum tuum suscipe & amplectere; tibi enim datus & tibi natus est, & nunc pro utilitate tua humilis & mansuetus venit.

CHRE